

APPENDIX

AD

LIBRUM QUARTUM DECRETALIUM

CONTINENS BREVEM SUFFICIENTEM TAMEN ET CLARAM THEORIAM AC PRAXIN

DE DISPENSATIONE SUPER IMPEDIMENTIS MATRIMONII

ET PETENDI DEBITUM

ITEM DE REVALIDATIONE MATRIMONII INVALIDE CONTRACTI

PRÆFATIO AD LECTOREM.

Experientia constat, dispensationis materiam, quamvis sæpissime recurrat, tamen passim varia generare dubia, anxietates, difficultates, superfluas et inutiles expensas, ex eo, quod non pauci, etiam cæteroquin docti, ex defectu notitiæ, praxis, ac styli in materia dispensationis matrimonialis miseris impedimento aliquo implicatis male consulant, aliis dicendo non superesse dispensationis remedium, ubi facillime dispensari potest, aliis procuracionem dispensationis suadendo, ubi dispensari non potest, aut non solet; alios dirigendo Romam, quos episcopus juvare posset; alios mittendo ad pœnitentiariam in casu, quo ad datariam, vel aliud tribunal pro dispensatione in foro externo deputatum recurrere oportet. Fiunt præterea supplicationes ita informes, ut falsum narrantes, vel necessaria omittentes, gratiam non nisi sub, et obreptitie obtineant, vel magnis cum expensis impetrent, quæ in forma pauperum, vel alia via nullis, vel paucis habere potuissent. Hinc necessarium et utile duximus, brevem aliquam, sufficientem tamen theoriam, et praxin ita simpliciter et clare proponere, ut etiam minus

experti in jure, et praxi (pro his enim, non pro doctoribus hanc appendicem annectimus) eam faciliter capere, indigentibus utiliter consulere, consulendoque eosdem juvare valeant.

§ I.

DE POTESTATE DISPENSANDI SUPER IMPEDIMENTIS MATRIMONII COMPETENTE PAPA, NUNTIIS APOSTOLICIS, EPISCOPIS, CAPITULO SEDE VACANTE, ET VICARIIS GENERALIBUS.

1. *Papa potest super quovis impedimento impediendo dispensare.* — Quæritur I. An? et in quibus impedimentis matrimonii dispensare valeat Papa? Ante responsionem supponitur ex dictis, impedimenta alia esse impediencia, alia dirimentia, alia jure divino, alia jure duntaxat ecclesiastico dirimere matrimonium. Hoc supposito, Resp. I. Potest Papa pro utroque foro in cunctis impediencia duntaxat impedimentis dispensare. Unanimis et certa. Et quidem quod in tempore sacro, et in vetito, seu in hoc dispensare valeat, ut matrimonium tempore sacro, v. g. Quadragesimæ, vel specialiter interdicto, et prohibito contrahatur,

patet : « Tum quia ejusdem est solvere, cujus ligare. » Tum quia tanquam supremus legislator potest in quovis jure ecclesiastico dispensare, arg. c. *Proposuit. de Concess. præbend.* ubi de sua potestate loquens ait : « Qui secundum plenitudinem potestatis de jure possumus supra jus dispensare. »

2. *Etiā ex sponsalibus, vel voto proveniente.* — De sponsalibus satis patet ex dictis lib. IV, tit. I, *de Sponsalib. et matrim.* docetque cum communi Sanchez, *de Matrimon.* lib. I, disp. 61, n. 2; Bosco, *de Matrim.* disp. 2, sect. 13, n. 229. Quamvis sponsalia solvi potius, quam dispensari dicantur : ut bene advertit Bosco. De voto autem ex dictis lib. III, tit. XXXIV, *de Voto et Voti redempt.* ubi ostenditur, et magis adhuc ex theologia supponitur, posse Papam in cunctis votis dispensare, et dicitur adhuc magis ad propositum n. 6. Interea notandum quod ad dispensandum in impedimento voti, et sponsalium Pontifex necessario habere debeat justam causam; quia ambo impediunt matrimonium jure divino, in quo nec valide, nec licite dispensare potest Papa, juxta dicenda in n. 6. Et de sponsalibus specialiter etiam notat Bosco, loc. cit. n. 229. Imo, ut bene ibid. n. 226, cum aliis advertit, sponsalia non tam dispensari, quam dissolvi. Cæterum ex qua causa, quomodo, et in quibus votis dispensare possit et soleat, habetur infra cit. § 3, a n. 141.

3. *Potest etiam dispensare super impedimentis, jure duntaxat ecclesiastico, dirimentibus.* — Resp. II. Potest etiam Papa super impedimentis jure duntaxat ecclesiastico dirimentibus dispensare. Rursus unanimis ac certa, arg. cit. cap. *Proposuit. 4. de Concess. præbend.* patetque ex dictis lib. I, tit. II, § 18, ubi prolixius habetur, quod Papa valeat in omni jure ecclesiastico dispensare.

4. *Enarrantur hæc impedimenta.* — Inferitur, quod, cum jure duntaxat ecclesiastico dirimant sequentia impedimenta videlicet, primo, cognatio spiritualis, juxta dicta tit. XI, n. 4; secundo, cognatio legalis, juxta dicta tit. XII; tertio, cognatio carnalis, seu consanguinitas et affinitas excepta linea recta, et primo gradu lineæ transversæ in consanguinitate, et gradu primo lineæ rectæ in affinitate, ex copula licita, juxta dicta tit. XIV; quarto, votum solemne religiosæ professionis, juxta dicta tit. VI; quinto, ordo, eod. tit.; sexto, crimen, juxta dicta tit. VII; septimo, cultus disparitas, tit. I; octavo,

publica honestas, juxta dicta tit. IV; nono, clandestinitas, juxta dicta tit. III; raptus, tit. I. In iis omnibus dispensare possit Papa. Quando autem, et ex quibus causis super iisdem dispensare soleat, dicitur infra § 3, per totum.

5. *Dispensat in illis valide, sed non licite sine causa.* — Resp. III. Potest Papa super impedimentis solo jure ecclesiastico impediuntibus dispensare, etsi nulla adsit dispensandi causa; quamvis peccet, si absque justa causa dispenset. Patet conclusio ex dictis lib. I, tit. II, § 18, n. 478, ubi amplius dictum, et probatum est, validam quidem, sed illicitam esse dispensationem, qua legislator in propria, vel antecessoris lege, sine justa causa dispensat.

6. *Nequit Papa dispensare super impedimentis jure divino dirimentibus.* — Resp. IV. Nequit Papa dispensare in impedimentis jure naturali, vel divino dirimentibus matrimonium. Denuo communis et certa. Ratio est, quia inferior (qualis respectu Dei etiam Papa est) nequit tollere, vel relaxare legem superioris, nisi concessam ad hoc ab eo habeat potestatem, arg. *Clem. Ne Romani, de Elect.* Nullibi autem, nec ex sacris paginis, nec ex sacris canonibus, nec ex traditione vel usu Ecclesiæ, nec aliunde constat, Papæ concessam esse a Deo potestatem dispensandi in impedimentis jure naturali aut divino dirimentibus, prout cum aliis bene observat Glossa, in c. *Litteras. 7. Dispensare de Restitut. spoliat.* et ibi Abbas, n. 4; Hostiensis, n. 3; item Sanchez, lib. VIII, disp. 6, n. 10; Navarrus, in *Manual.* cap. xxii, n. 84; Bosco, *de Matrim.* disp. 12, sect. 3, conclus. 1, ubi etiam more suo egregie demonstrat, quod non sit necessarium, nec expediat, ut Pontifici concedatur facultas dispensandi in impedimentis jure naturali dirimentibus.

7. *Recensentur hæc impedimenta.* — Hinc, quia impedimentum jure naturali, ac divino dirimens est : primo, error, juxta dicta tit. I, a n. 343; secundo, conditio, juxta dicta tit. IX, n. 3; tertio, vis, tit. I; quarto, ligamen, tit. XXI; quinto, impotentia, juxta dicta tit. XV. Consanguinitas in linea recta in infinitum, et prima gradu lineæ transversæ : necnon affinitas in primo gradu lineæ rectæ, juxta dicta tit. XIV, in iis dispensare Papa non valet.

8. *Qualem potestatem dispensandi super impedimentis habeant nuntii apostolici.* — Quæ-

ritur II. An? et in quibus impedimentis dispensare valeant nuntii apostolici? Resp. I. Illos imprimis, quantum ad propositum, gaudere omni ea potestate, quam jure ordinario habent episcopi; quia reputantur ordinarii iudices suæ provinciæ textu expresso c. 2, *de Offic. legat.* in 6. Quæ autem potestas competat quoad propositum ordinariis, dicitur infra n. 10, et seqq.

9. Resp. II. Præter allegatam potestatem consueverunt Pontifices dictis illustrissimis dominis nuntiis apostolicis concedere specialem facultatem, « dispensandi gratis cum quibuscunque personis intra suæ legationis limites existentibus, quæ quarto aut etiam tertio et quarto etiam multiplicibus consanguinitatis, et affinitatis gradibus conjunctæ, seu se attinentes scienter, vel ignoranter conjunctæ sunt, vel alias se, non tamen sub specie facilis habendæ dispensationis a Sede apostolica, carnaliter cognoverunt; necnon cum aliis quibuscunque similibus gradibus conjunctis, vel se attinentibus, propter angustiam loci, aut ad sedandas inimicitias, vel ob dotem minus competentem, aut alias rationabiles causas matrimonium invicem contrahere voluerint. » Hæc siquidem sunt verba formalia brevis dati ab Innocentio X, alicui nuntio apostolico, præmissa tamen clausula indicante, hujusmodi potestatem nuntio non competere respectu omnium, sed solum respectu « eorum, qui ob paupertatem, et itineris incommoditatem ad Romanam curiam pro dispensatione accedere, vel mittere non possunt. »

10. *Episcopus potest pro utroque foro dispensare super impediēte impedimento sacrati temporis et vetiti.* — Quæritur III. An? In quibus impedimentis? quando? et quomodo dispensare valeant episcopi? Resp. I. Episcopi pro utroque foro juxta ex causa dispensare valent in duobus impedimentis jure ecclesiastico duntaxat impediuntibus videlicet, sacro tempore, et vetito; nisi Papa aliquod matrimonium specialiter vetet. Communis et certa. Fundamentum, et ratio conclusionis est universalis consuetudo, quæ optima legum interpret, c. 8, *de Consuetud. atque derogat. etiam legi humanæ, c. fia. eod.* et cæteris deficientibus tribuit jurisdictionem, c. *Duo simul. de Offic. ordinar.* juncto c. *Cum contingat de Foro competent.* et amplius dictum est, lib. I, tit. II, n. 471.

11. *Item super votis non reservatis.* — Resp. II. Potest insuper ex justa causa dis-

pensare super impediēte impedimento voti cujuscunque, Papæ non reservati, v. g. castitatis ad tempus, vel in perpetuum, si est conditionale, vel pœnale : item voti non nubendi, vel ordines suscipiendi, etc. Rursus communis et certa, patetque conclusio ex dictis lib. III, tit. XXXIV, *de Voto*, a n. 27.

12. *Minime vero in reservatis.* — Resp. III. Nequit tamen episcopus dispensare super impedimento perfecti voti servandi perpetuam castitatem, vel ingrediendi religionem. Denuo communis et certa. Ratio est, quia hæc specialiter sunt reservata Papæ, nec quid juris in illa habet episcopus, teste etiam experientia, qua constat, quod pro dispensatione horum votorum ubique scribatur Romam.

13. *Nisi in casu urgentis necessitatis.* — Limitatur tamen conclusio in casu urgentis necessitatis pro foro interno, sicut et in iis casibus, in quibus hæc vota non sunt reservata. De quibus, sicut et de tota conclusione vide lib. III, tit. XXXIV, a n. 27, ne fiat inutilis repetitio.

14. *Regulariter loquendo, nequit episcopus dispensare super impedimentis etiam solo jure ecclesiastico dirimentibus.* — Resp. IV. Regulariter loquendo, de jure communi non potest episcopus in ullo impedimento dirimente dispensare. Communis et certa. Ratio clara est, quia omnia impedimenta jure ecclesiastico dirimentia, decreto summi Pontificis, aut concilii alicujus generalis introducta sunt; in hoc autem tanquam superioris decreto vel lege nequit episcopus utpote inferior dispensare; cum juxta unanimem nequeat inferior dispensare in lege superioris, arg. c. *Cum inferior. de Majorit. et obedient.* et cit. *Clem. Ne Romani. 2. de Elect.* ibi : « Lex superioris per inferiorem tolli non potest : » ergo.

15. *Bono tamen in casu magnæ et urgentis necessitatis, concurrentibus certis conditionibus.* — Resp. V. Quamvis juxta præcedentem conclusionem non ordinarie, et regulariter, tamen extraordinarie, seu in casu magnæ et urgentis necessitatis pro foro conscientie super præfatis jure ecclesiastico dirimentibus impedimentis etiam secluso omni privilegio dispensare potest pro conscientie foro : si sequentes simul concurrant conditiones, videlicet, I. Si impedimentum est occultum. II. Si adest gravis causa, seu necessitas. III. Si necessitas sit urgens, ita, ut

non patiatur dilationem, donec dispensatio Roma a Pontifice, vel nuntio veniat. IV. Si matrimonium bona fide jam fuit contractum, et quidem in facie Ecclesiae, ac praemissis denuntiationibus, quamvis in casu valde extraordinario, et urgentissimae necessitatis etiam ante matrimonium contractum dispensare valeat, supposito, quod etiam praecedentes conditiones concurrant, juxta dicenda infra § 3, n. 63. De quibus conditionibus singulis singula instituimus quaesita seq. § per totum. Caeterum conclusioni adherent Sanchez, lib. II, *de Matrim.* disp. 40, per totum; Bosco, *de Matrim.* disp. 42, sect. 13, conclus. 3; Barbosa, *de Offic. et potest. episc.* allegat. 35; Galtierrez, quaest. canon. lib. I, cap. XXIII; Engel, *de Matrim. contract. contra interdictum Ecclesiae.* Cum communi, et propemodum certa aliorum, contra Sotum, et paucissimos alios arg. c. 2, *de Observant. jejun.* et c. *Quod non est, de Reg. jur.* in 6, ibi: « Quod non est licitum in lege, necessitas facit licitum. » Ratio est, quia id requirere videtur pastorale officium episcopi, ut possit animabus conceditis urgente gravi necessitate in hujusmodi casibus extraordinariis subvenire; cum alias oves subjectae essent destitutae necessariis mediis, et expositae manerent gravissimis periculis scandalorum, peccatorum, diffamationum, etc. Quod suavi gubernationi Ecclesiae repugnat, utpote, quae potestatem suam non in destructionem, sed in aedificationem animarum gerit, juxta illud II *Corinth.* x: « Nam etsi amplius aliquid gloriatus fuero de potestate nostra, quam dedit nobis Dominus in aedificationem, et non in destructionem vestram. »

16. *Solvitur objectio.* — Dices: Nullo jure invenitur expresse concessa episcopis potestas dispensandi in praefatis extraordinariis casibus: ergo. Resp. Etsi non expresse, tamen tacite concessa censetur dicta potestas a summo Pontifice, hoc ipso, quod seiat, episcopos illa passim uti, et non contradicat. arg. c. *Qui tacet, de Reg. jur.* in 6. Nec dicas, Papam id non scire, imo non posse scire, eo quod episcopi memorata potestate tantum pro conscientiae foro, consequenter non nisi in secreto uti possint, ac debeant, juxta ipsam conclusionem nostram. Resp. enim cum Bosco, n. 122, et seqq. Verum quidem esse, Sedem Romanam ex facto et praxi episcoporum id scire non posse, scire tamen ex libris, et innumeris quasi aucto-

ribus, passim libere, ac aperte adscribentibus episcopis dictam dispensandi potestatem a Papa ob bonum commune tacite concessam. Quorum doctrinam, si erroneam reputaret, faciliter, uti plures alias, damnare posset, ac etiam deberet, eo quod agatur de valore sacramenti, et ex multis rationibus sit maximi momenti, ut consideranti patet.

17. *Urgente necessitate dispensat episcopus in lege ecclesiastica.* — Confirmatur: Quandocumque urget necessitas, potest episcopus in casu particulari saltem pro foro conscientiae dispensare contra sacros canones, imo et contra concilium generale, juxta dicta lib. I, tit. II, *de Constit.* § 18, n. 470, ergo.

18. *Consuetudo tribuit jurisdictionem.* — Accedit ad propositum longeva episcoporum consuetudo, quae contra legem ecclesiasticam praescribit, arg. c. *fin. de Consuetud.* ac etiam jurisdictionem tribuit, c. *Duo simul de Offic. ordinar.* et c. *Cum contingat.* 13, *de Foro competent.* prout amplius dictum lib. I, tit. II, n. 471. Estque optima legum interpretis, l. 37, ff. *de Legib.* Huc faciunt etiam ea, quae de episcopali potestate dispensandi ob urgentem necessitatem in sacris canonibus prolixius habentur cit. lib. I, tit. II, *de Constit.* § 18, n. 63.

19. *In nullo casu potest episcopus pro foro externo dispensare super impedimentis dirimentibus.* — Dicitur autem notanter in conclusione n. 15, posita: *Pro foro conscientiae;* siquidem pro foro externo in prorsus nullo casu dispensare potest episcopus super aliquo impedimento dirimente; nisi speciale habeat privilegium a Papa concessum, prout tanquam certum docent, vel potius supponunt Fagnanus, cit. c. *Nimis, de Filiis presbyt.* n. 37; Bosco, loc. cit.; Sanchez, lib. II, *de Matrim.* disp. 40, n. 10; Henriquez, lib. XII, *de Matrim.* cap. III, n. 2; Barbosa, *de Offic. et potest. episc.* allegat. 35, ac alii arg. *Concil. Trid.* sess. 24, *de Reformat.* cap. VI, ubi fere similiter pro solo interno, non autem pro externo foro concedit episcopis potestatem dispensandi in irregularitatibus occultis. Patet etiam exemplo ipsius poenitentiariae, utpote quae non nisi in casibus occultis pro conscientiae foro dispensat, suasque dispensationes pro illo solo, non item pro externo foro valere ipsamet declarat. Ratio est, tum quia impedimento jam existente publico vix fingi potest tantae necessitatis casus, ut non merito expectetur dispensatio Roma. Tum quia si super pu-

blico impedimento dispensare praesumeret episcopus, non tam evitaret, quam generaret scandalum, unde nec aliqua viget consuetudo tribuens episcopis jurisdictionem dispensandi pro foro externo, sicut pro interno, juxta dicta n. praeced.

20. *Episcopis concessa solent speciales facultates dispensandi etiam pro foro externo super certis impedimentis dirimentibus.* — Quaeritur IV. An? et quales episcopi habeant speciales facultates seu quasi privilegia dispensandi super impedimentis dirimentibus? Resp. I. Quamvis haec quaestio sit facti; cum privilegia hujusmodi mere dependeant ex libera voluntate pontificis concedentis, qui dare et auferre, augere et minuere, uni plura et majora, alii minora concedere potest, consequenter certa, et universalis responsio pro omnibus dari nequeat. Nihilominus scire omnino juvat, quod summus pontifex omnibus ab urbe Romana longe distantibus, et in specie Germaniae episcopis praeter alia privilegia, etiam specialem concedere soleat facultatem dispensandi pro utroque foro, in nonnullis dirimentibus matrimonii impedimentis, ita tamen, ut de quadriennio in quadriennium renovari, et episcopi pro ea sollicitare, ac hoc ipso fateri debeant, hujusmodi facultatem sibi non de jure communi, sed ex mera gratia, et speciali privilegio pontificio competere.

21. *Enarrantur talia impedimenta.* — Porro specialia privilegia, et facultates dispensandi super impedimentis dirimentibus episcopis Germaniae concedi solent sequentes. Vide licet.

I. Dispensandi in tertio, et quarto tam consanguinitatis, quam affinitatis gradu simplici et mixto, tantum cum pauperibus in contrahendis matrimoniis; in contractis vero cum haereticis conversis etiam in secundo simplici et mixto; dummodo nullo modo attingat primum gradum; et in his casibus prolem susceptam declarandi legitimam.

II. Dispensandi super impedimento publicae honestatis, ex sponsalibus proveniente.

III. Dispensandi super impedimento criminis, neutro tamen conjugum machinante, et restituendi jus petendi debitum amissum.

IV. Dispensandi in impedimento cognationis spiritualis; praeter levantem, et levantem in baptismo.

22. *Si dispensant pro foro externo, debent*

aliqua necessario observare. Et quae? Privilegia, seu speciales facultates episcopis concedi solita. — Resp. II. Ad hoc, ut episcopi vi praefatorum privilegiorum, seu facultatum in aliquo ex memoratis impedimento valide dispensare possint, omnino observare debent clausulam, quam Papa memoratis dispensandi privilegiis adjicere solet illis verbis: Haec vero matrimoniales dispensationes non concedantur, nisi cum clausula; dummodo mulier rapta non fuerit; vel si rapta fuerit, in potestate raptoris non existat: et in dispensationibus hujusmodi declaretur expresse, illas concedi tanquam a sedis apostolicae delegato. Ad quem effectum, etiam tenor ejusdem facultatem inseratur, cum expressione temporis, ad quod fuerint concessae; alias nullae sint. Ita enim expresse mandare solet pontifex, prout patet ex tenore facultatum specialium, et quasi privilegiorum; quae summus pontifex concedere consuevit reverendissimis et celsissimis episcopis Frisingensi, et Batisbonensi, cujus copiam (quam similem credimus illi, quae datur aliis Germaniae episcopis) hic etiam propterea annectimus: quia multum juvat scire, an Romam confugere debeamus, an vero apud episcopum auxilium habere possimus.

Facultates concessae a S. D. N. D. Innocentio divina providentia papa XII. Reverendissimo D. D. Joanni Francisco episcopo Frisingensi.

« 1. Absolvendi ab haeresi, et apostasia a fide, et schismate quoscunque etiam ecclesiasticos tam saeculares, quam regulares, non tamen eos, qui ex locis fuerint, ubi sanctum Officium exerceatur, nisi in locis missionum, in quibus impune grassantur haereses, deliquerint: nec illos, qui judicialiter abjuraverint, nisi isti nati sint, ubi impune grassantur haereses, et post judicialem abjurationem illuc reversi, in haeresin fuerint relapsi, et hos in foro conscientiae tantum.

« 2. Tenendi, et legendi libros prohibitos haereticorum ad effectum eos impugnandi, et alios quomodolibet prohibitos, praeter opera Caroli Molinei, Nicolai Machiavelli, et libros de astrologia judiciaria principaliter, aut incidenter, vel alias quovis modo de ea tractantes, ita tamen, ut libri ex illis provincis non efferantur.

« 3. Dispensandi in 3 et 4 simplici, et